

DXXV.

CAMERACEN.

Cum Episcopus Cameracensis in erigendis Sodalitatibus cujuscumque tituli, unicuique Sodalitati eadem statuta servanda tradiderit, quin mentio fiat in ipsis de aliquo pio opere a Sodalibus exercendo, quaerit a Sac. Congregatione.

1.^o *Utrum Indulgentiae talibus Sodalitatibus ab Apostolica Sede concessae validae sint, et an Sodales eas lucrari possint, adimpletis tantum conditionibus in Pontificiis Concessionibus praescriptis?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative »

2.^o *Utrum praefata statuta servanda sint sub poena nullitatis Indulgentiarum, ita ut fideles Indulgentiis priventur ob eorum inobservantiam sive integram, sive ex parte tantum?*

Sac. Congregatio respondit « Dummodo Sodalitates sint canonice erectae, et Sodales adimpleant opera injuncta a Summis Pontificibus pro lucrandis Indulgentiis suae respectivae Confraternitati adnexis, ipsique Sodales legitime descripti fuerint in Confraternitatem, inobservantia partialis, seu generalis Statutorum non obest acquisitioni Indulgentiarum, ex eo quod Statuta sunt potius ad Regimen, et ad rectam Sodalitatis administrationem data, minime vero tamquam injuncta opera ad Indulgentias acquirendas ».

3.^o *Utrum receptio fidelium, seu adscriptio in Sodalitatem sufficiens sit ad lucrandas adnexas Indulgentias facta a Parocho respectivo illius Ecclesiae in qua Sodalitas reperitur erecta, quamvis Statuta mentionem non faciant quod Parochus debeat esse Sodalitatis Rector?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative quatenus Parochus sit ab Episcopo erigente deputatus ad recipiendos Sodales, etiamsi nulla de eo facta sit mentio in Statutis ».

4.^o *Utrum Episcopi, qui ab Apostolica Sede facultatibus sunt muniti communicandi Indulgentias Sodalitatibus, quas in propriis Dioecesibus exererunt, debeant sub poena nullitatis neces-*

sario uti formula a san. me. Clemente VIII approbata, an satis erit eas erigendi cum Diplomate cujuscumque formulae, episcopali signo obsignato, in quo, citato Apostolico Indulto, mentio quoque fiat tum de necessitate adscribendi Sodalium nomina in Sodalitatis album, tum de distantia servanda, prout Clemens VIII san. me. in sua Constitutione praescribit?

Sac. Congregatio respondit « Negative, sed conformari debent Litteris Apostolicis particularibus ab ipsis Ordinariis obtentis, et ubi in concessionibus enunciatur » *Servata Constitutione Clementis VIII « hoc respicit condiciones in ipsa Constitutione enunciatas, quae sunt observandae, minime vero formulam, quae respicit Superiores Regulares in eorum Ordinis tantum Sodalitatibus erigendis ».* Ita Sac. Congr. die 25 Januarii 1842.

DXXVI.

ANICIEN.

Episcopus Aniciensis efflagitat, ut tempore proximi Jubilaei, quem Sanctissimus etc. Ecclesiae B. M. V. Aniciensi, occasione concursus festi Annuntiationis cum feria sexta in Parasceve in perpetuum renovare dignatus est, una eademque Communione Christifidelibus hanc Plenariam Indulgentiam lucrari simul et Paschale Praeceptum adimplere possint. Haec postulatur gratia propter magnum qui praevideatur fidelium concursum, et forsan imparem Confessariorum copiam.

Sac. Congregatio, ad preces Aniciensis Episcopi respondendum censuit « Standum responsis Episcopo Monasteriensi, die 19 Martii superiori anno datis pro Indulgentiis Papali Benedictioni adnexis, nempe « *Per Confessionem et Communionem die Paschatis Resurrectionis peractam, et Indulgentiam Plenariam Papali Benedictioni adnexam lucrari, et satis Praecepto Paschatis fieri »* Ita Sac. Congr. in Monasteriensi die 19 Martii 1841. In Quebecen die 15 Decembris 1841, et die 25 Januarii 1842.

DXXVII.

ANICIEN.

Idem Episcopus Indulgentiam Plenariam in forma Jubilaei pro Ecclesia Cathedrali suae Dioecesis a Benedicto XIII confirmatam, sub datum 6 Augusti 1841 a Sede Apostolica extensam pro hoc anno ad duodecim dies a praecedenti feria quinta in Coena Domini incipiendos, et enumerandos obtinuit, quaerit nunc a Sac. Congr. utrum in enumeratione duodecim dierum comprehendatur integra feria quinta; aut pars tantum, nempe ab occasu solis feriae quintae?

Sac. Congregatio respondit « Standum ad verbum concessionis, quae non exprimit talem Indulgentiam incipiendam esse ab occasu solis feriae quintae, sed potius ab integra feria, quae prima erit ex duodecim designatis diebus computanda » Ita declaravit Sac. Congr. die 28 Januarii 1842.

DXXVIII.

ROTHOMAGEN.

Plures Sacerdotes Dioecesis Rothomagensis Sac. Congregationi dubia quaedam solvenda proponunt, ut infra.

1.^o *An benefaciant benedicendo Coronas ordinarias quinque decadum cum applicatione Indulgentiarum Divae Birgittae nuncupatarum?*

Sac. Congregatio respondit « Negative, nisi Sacerdotes peculiare habeant facultates ab Apostolica Sede impetratas, quaeque in concessionibus exprimuntur per illa verba, aut similia « ac etiam applicandi Indulgentias Sanctae Birgittae nuncupatas » per ista enim verba, aut similia, non datur facultas benedicendi Coronas Birgittinas, (quae sex decadibus constant, totidemque orationibus dominicis, et Apostolicis Symbolis, atque in fine una alia oratione dominica, tribusque Salutationibus Angelicis) sed traditur potestas benedicendi Coronas communes (idest quinque,

vel quindecim decadum) cum Indulgentiis quoque, quae propriae sunt Coronarum Divae Birgittae » Ita Sac. Congr. in Atrebatensi 25 Septembris 1841, in Rothomagensi 24 Januarii 1842, et nunc 28 ejusdem mensis.

2.^o *An fideles illas Coronas sic benedictas recitando, revera Indulgentias Birgittinas lucrentur?*

Sac. Congregatio respondit « Satis responsum in primo »

3.^o *An ad lucrandas istas Indulgentias meditandum sit in singulis decadibus super uno ex quindecim mysteriis laetis videlicet, dolorosis, et gloriosis?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative, et juxta Decretum, Sacrae Congregationis diei 12 Augusti 1726 ».

4.^o *An sufficiat ad hanc meditationem praemittere sequentes, aut similes formulas: in prima decade: In hoc primo Mysterio laeto considerabimus, ut Angelus Gabriel nuntiavit B. M. Illam concepturam, et parituram Dominum Nostrum Jesum Christum: in secunda decade: in secundo Mysterio laeto considerabimus, ut B. V. audito suam Cognatam Sanctam Elisabeth esse praegnantem, statim ad illam profecta est, et ad illam mansit tribus mensibus, et sic in caeteris?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative, et juxta Constitutionem sa. me. Benedicti XIII quae incipit « Pretiosus » sub die 26 Maii 1727. Animadvertendum autem est, quod pro personis idiotis, quibus nulla est capacitas talia mysteria meditandi, satis est Rosarium tantum devote recitare ».

5.^o *An, quando Sanctissimus etc. concessit aliquam Indulgentiam ab omnibus fidelibus lucranda, sua intentio sit, ut omnes fideles illam possint lucrari statim ut illis de concessionem Sanctissimi constat, an necessarium sit antea ut Ordinarii Locorum hanc Indulgentiam recognoverint, ac in suis Dioecibus respectivis promulgaverint?*

Sac. Congregatio respondit « Negative quoad primam partem; Affirmative quoad secundam » Die 28 Januarii 1842.

DXXIX.

GANDAVEN.

Cum Episcopus Gandavensis in Belgio Dubia sibi a Confessariis suae Dioecesis proposita solvere, et praxim uniformem in eadem Dioecesi introducere cupiat, enixe a Sac. Congregatio quaerit.

1.^o *Utrum Benedictio in articulo mortis juxta formulam Benedicti XIV in Constitutione « Pia Mater » reiterari possit in eodem morbi statu ?*

2.^o *Quatenus affirmative, an ea toties iterari possit quoties aegrotus in peccata saltem venialia relapsus ab eis absolvetur ?*

Sac. Congregatio in una Veronen. die 24 Septembris 1838 responsum dedit cuidam Dubio illius Episcopi « *An scilicet Benedictio Apostolica pluries impertiri posset novo mortis periculo redeunte ?* » et responsam fuit « *Negative, permanente infirmitate etsi diuturna; Affirmative vero si infirmus convalescerit, ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum redeat* » Et ita Sac. Congr. respondit Episcopo Gandavensi. Die 12 Februarii 1842.

DXXX.

METEN.

Cum in Ecclesia Cathedrali Metensi existat Sodalitas B. M. V. de Monte Carmelo, cui per Indultum Apostolicum anni 1822 assuetae Indulgentiae in perpetuum concessae sint, tamen Episcopus Metensis praefatarum Indulgentiarum prorogationem a Sac. Congr. exposcit, cum juxta plurimos Canonistas, Indulgentiae licet in perpetuum concessae, renovari debeant post viginti annos.

Sac. Congregatio respondit « *Idem esse dicere in perpetuum, ac sine ullo temporis termino; praesertim cum ea sit Praxis Apostolicae Sedis in gratiis elargiendis absque ullo discrimine omni aevo observata ideoque non oportere gratias ab ipsa Apostolica Sede in perpetuum concessas, post viginti, et amplius annorum spatium renovare.* » Ita Sac. Congr. die 14 Februarii 1842.

DXXXI.

INCERTI LOCI

Proposito Dubio « An in designatione Altarium pro acquirendis Indulgentiis, nomine Ordinarii in privilegio intelligatur sola persona Episcopi, vel etiam Praelatus, qui gaudet ordinaria jurisdictione in suo Districtu ? Sac. Congregatio respondit « Praelatus, qui jurisdictione gaudet, potest deputari ad designandum Altare pro acquirendis Indulgentiis, et nomine Ordinarii hoc in casu non solum intelligitur Episcopus, sed etiam Praelatus jurisdictione praeditus » Ita declaravit Sac. Congr. die 7 Junii 1842.

DXXXII.

CAMERACEN.

Quaedam Sanctissimi Rosarii Sodalitas in Dioecesi Cameracensi dubium solvendum Sac. Congr. proponit, ut infra « Altare Sanctissimi Rosarii Privilegiatum putatur a jure pro Sacerdotibus Sodalibus; at vero in Ecclesia dictae Sodalitatis plura existunt Altaria, minime vero illud B. M. V. de Rosario dicatum; quid ergo sentiendum de tali privilegio in Ecclesia hujusmodi Altari carente ?

Sac. Congregatio auditis Consultorum votis, respondit « *Sodalitates canonice erectae privilegiis, et Indulgentiis gaudent illorum Ordinum Regularium, quorum fruuntur titulis juxta Constitutionem san. mem. Clementis VIII; ita Sacerdotes Sodalitati Sanctissimi Rosarii adscripti, gaudent privilegio Altaris eo modo quo Presbyteri Ordinis Praedicatorum, qui in respectivis eorum Ecclesiis habent Privilegiatum Altare B. M. V. de Rosario dicatum; cum vero privilegium hoc sit tantum locale, minime vero personale, sequitur quod ea Ecclesia Sodalitatis Rosarii, ubi hoc Altare non reperitur, privilegio quoque Altaris omnino careat, nisi tamen in Decreto erectionis Sodalitatis hujusmodi facultas tradita sit Ordinario aliud Altare ad hunc finem designandi.* » Die 7 Junii 1842.

DXXXIII.

CORISOPITEN.

Episcopus Dioecesis Corisopitensis Decreta seu Responsiones expostulat a Sac. Congr. ad sequentes proponendas quaestiones.

1.^o *Quando Episcopus, virtute Delegationis Apostolicae in Ecclesia Parochiali, seu Succursali erexit aliquam Sodalitatem, de Monte Carmelo, scilicet, Rosarii etc. nec specialem Rectorem designavit, numquid praedictae Ecclesiae Pastor hoc ipso et absque alia designatione, institutae Sodalitatis Rector censetur, et haberi debet, ita ut in illam admittere valeat et suos, et aliorum Parochianos, completis formalitatibus aliunde praescriptis, speciatim benedicere, et imponere Scapularia?*

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, respondit « Negative: excepto solummodo casu, quod in illa Ecclesia seu Parochia nullus alius esset, qui possit destinari et tunc eo ipso quod Episcopus ibi erigit Sodalitatem, tacite videtur Rectorem designare Ecclesiae Pastorem non jure suo utendo, sed Sodalitatis necessitate Rectorem exigentis »

2.^o *Impedito Pastore, numquid ejus Vicario competunt supranumeratae facultates?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative, dummodo Vicarius sit de Gremio Sodalitatis »

3.^o *Hoc recepto: Ubi Pia Sodalitas alicubi erigitur, nominatim designandum esse istius Sodalitatis Rectorem; potestne Episcopus declarare Rectoris munus ab Ecclesiae Pastore, quae Sodalitate donatur, in perpetuum fore obeundum, et Pastor pro tempore fruitur ne virtute hujus declarationis facultatibus in prima, et secunda quaestione memoratis?*

Sac. Congregatio respondit « Negative, nisi Episcopus speciales habeat facultates; nam generice loquendo, quotannis fieri debet Rectoris, aliorumque officialium Sodalitatis electio » Ita declaravit Sac. Congreg. Die 7 Junii 1842.

DXXXIV.

BRIOCEN.

Vicarius Generalis Dioecesis Briocensis quaerit a Sacra Congregatione « An Sacerdos, qui obtinet facultatem benedicendi ac imponendi Scapularia, habeat eo ipso facultatem commutandi obligationes commutabiles Confratrum, quando opus est, scilicet cum recursus ad alterum sit impossibilis ut hoc commodo fideles non priventur? »

Sac. Congregatio respondit « Negative: vigore enim obtentae facultatis benedicendi, ac imponendi Scapularia non sequitur quod Sacerdos ea quoque gaudeat potestate commutandi obligationes injunctas, nisi expresse enunciatur in Rescripto Concessionis pro benedictione, et impositione Scapularium » Et rursus eadem Sacra Congregatio « Accedente gravi impedimento non teneri Confratres neque ad Jejunia, neque ad recitationem Horarum Canoniarum, aut Officii Parvi B. M. V; neque ad abstinentiam diebus Mercurii, et Sabbati; consulendi tamen fideles ut hoc in casu se subjiciant iudicio docti, et prudentis confessorii pro aliqua commutatione impetranda ». Ita declaravit Sacra Congreg. Die 22 Junii 1842.

DXXXV.

CLAROMONTEN.

Ex parte cujusdam Parochi Dioecesis Claromontensis solutio quaeritur nonnullorum dubiorum, quae Sac. Congr. proponuntur:

1.^o *An quando Cruces quaedam, seu Imagines Stationum Viam Crucis repraesentantes ob reparationem, seu ornamentum Templi, vel ob quoddam aliud motivum legitimum sunt provisorie tantum translatae ad paucum, vel ad longum tempus, istud sacrum exercitium Viae Crucis amittat Indulgentias sibi adnexas?*

Sac. Congregatio respondit « Negative ».

2.^o *An in casu amissionis Indulgentiarum ob translationem provisoriam quarundam Imaginum, necessaria sit nova istarum, seu omnium Imaginum benedictio?*

3.^o *An supposita illa nova Imaginum benedictione requirantur denuo omnes Ceremoniae praescriptae sicut pro prima institutione Viae Crucis?*

Sac. Congregatio respondit « Ad secundum, et tertium jam responsum in primo ».

4.^o *An sex Pater, Ave, et Gloria requirantur ad lucrandas Indulgentias Viae Crucis, sive Stationes visitentur privatim, sive solemniter, et cum concursu?*

Sac. Congregatio respondit « Talem recitationem esse tantum pium usum, laudabilemque consuetudinem a fidelibus incoatam, ut patet ex monitis Sacrae Congregationis jussu Clementis XII sub die 3 Aprilis 1731 editis ».

5.^o *An quaedam Stationes ex. gr. prima, decimaquarta, et quaedam aliae, si solae visitentur, habeat unaquaeque Indulgentiam Plenariam?*

Sac. Congregatio respondit « Negative ».

6.^o *An omnes Christifideles ex adversa valetudine, vel ex justa aliqua causa praepediti quin valeant visitare Viam Crucis in Ecclesiis, possint Viae Crucis Indulgentias lucrari meditando de Passione Christi coram Tabulis lineari pictura expressis in libro ad hoc composito, prout fuit concessum a san. me. Pio VII in Brevi ad Venerabilem Archiepiscopum Burdigalensem transmissa sub die 20 Augusti anno 1822?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative, dummodo libellus quem in lucem prodiit clar. vir Petrus Bombelli ex speciali privilegio Pii VII sub die 10 Januarii 1804 ac Pii VIII sub die 23 Novembris 1830 habeat in calce Decretum hujusmodi Concessionis subscriptum a Reverendissimo Patre Ministro Generali, seu Commissario Generali Ordinis Minor. Observ. S. Francisci » Sic declaravit Sac. Congreg. Die 3 Augusti 1842.

DXXXVI.

AUXIEN.

Archiepiscopus Auxiensis Sac. Congr. Dubia ut infra solvenda proponit:

1.^o *Utrum Parochus, seu Moderator Confraternitatis cujuscumque, sive legitime impeditus, sive non, possit licite, et valide sibi Vicarium, vel alium Presbyterum quemcumque approbatum subrogare ad recipiendum fideles Confraternitati adscribendos?*

Sac. Congregatio respondit « Negative, nisi in commissione ei facta ab habente auctoritatem delegandi, expresse cautum sit, ut Vicarius, sive alius Presbyter subrogari possit ».

2.^o *Utrum Vicarius, vel alius Presbyter ita subrogatus pro una vice, vel ad tempus, possint habitus Confratrum, vel Sororum, nec non Coronas deprecatorias, seu Rosaria benedicere cum applicatione Indulgentiarum, non secus, ac ipsemet Parochus vel Moderator legitimus Confraternitatis?*

Sac. Congregatio respondit « Provisum in primo ».

3.^o *Utrum haec omnia absque ullo fidelium Confraternitati adscribendorum, seu adscriptorum detrimento fieri possint?*

Sac. Congregatio respondit « Negative: deficiente in Sacerdote adscribente, seu benedicente legitima auctoritate » Ita Sacra Congreg. Die 22 Augusti 1842.

DXXXVII.

ENGOLISMEN.

Vicarius Generalis Dioecesis Engolismensis implorat a Sacra Congregatione responsum ad dubia, scilicet.

1.^o *Utrum color coeruleus sit color necessarius in Scapulari Beatae, et Immaculatae Mariae Virginis?*

2.^o *Utrum qui Scapularia Montis Carmeli, et Immaculatae Conceptionis accepit, utrumque gestare debeat?*

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, ad praefata dubia respondit « Affirmative » . Die 22 Augusti 1842.